



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Contra tentationes vanæ gloriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

quam, quantum fieri potest, cum femineo maxime sexu agas sine socio ac teste vitæ. In horum trium observatione consistit debita erga divinam Majestatem submissio, & ei annexum est castitatis donum à B. V. Societati nostræ impetratum tanquam bonum prædestinationis signum.

Contra tentationes vana gloria.

Non veniat mihi pes superbia [superbus uno tantam pede stat, & hinc facile cadit] & manus peccatoris non moveat me. Ps. 35. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ps. 113. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. Psalm. 11. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me [Justus ille est verus amicus, non dissimulans, sed indicans, corrigens defectus meos] oleum autem peccatoris [adulatoris] non impinguet caput meum. Ps. 40. Populum humilem salvam facies, & oculos superbiorum humiliabis. Ps. 17. Date gloriam DEO, Ps. 67. qui dicit: Gloriam meam non dabo alteri. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris? quasi non acceperis. 1. Corinth. 4. Si in disput. Conc. discursu titillet te vana gloria, dic cum Bernardo: Propter te non cœpi, propter te non desinam. Verum est, quod oporteat facere verba bona non tantum coram DEO, sed etiam coram hominibus, ut glorificent Patrem, qui in cœlis est, ita tamen, ut opus sit in publico, & intentio maneat in occulto. De bono opere proximi
pra

præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ DEO soli placere quarimus, semper optemus secretum. Greg. hom. 11. in Evang.

Contra tentationes carnales.

Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in corde meo. Ps. 37. Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt. Ps. 72. In DEO speravi, non timebo, quid faciat mihi caro. Ps. 55. Eripe me de luto, ut non infigar. Ps. 68. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Ps. 118. Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ps. 48. Et verè, quid est omnis carnalis voluptas? nisi belluina, & brutis communis, quæ, in quantum conjugibus licita est, solo fine Matrimonii velut Sacramenti à Christo instituti coonestatur, ut per propagationem humani generis novis semper impleatur cœlum civibus. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psalm. 112. Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat. Indirectè, & statim animum ad alia avocando, securissimè resistitur tentationi carnali.

Quid facies? facies Veneris si veneris ante,
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.